



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Mennas Mart. 10. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

justissimum metum potest, si impiati
sacram mensam frequentemus. Ausus
est Hebræus inter Christianos profanus
accumbere, divinum cibum ore excep-
tum non stomacho, sed cœno post sacra
daturus. Prohibuit Numen, & vindices
ignes se ore servare scelus advertit, qui
tamdiu miserabili incendio impurum
exusserunt, dum quæ palato impio pen-
debat, Hostiam sacram S Y R I manibus
reddidit. Quid hîc Christiani? porro
mensam cum Iudæo impuri acceditis?
Non sentitis ultores hos ignes? graviores
sentietis. *Ex Surio.*

*Si qui regiam purpuram coinquinant,
haud secius quàm in eam scindunt, puniun-
tur? quid mirum si qui immundâ conscien-
tiâ Christi corpus accipiunt, idem suppli-
cium subeant, quod qui eum clavus cruci
affixerunt? S. Chrysoft. hom. 45. in Ioan.*

S. MENNAS MART. 10. Decembris.

MENNAM Maximinus Antiochiæ
præfecit suis, ut quidem putabat,
sacris, reverà Christianis addictum. Er-
ravit feliciter tamen Imperator, neque
Respublica umquam melius illic stetit,
quàm cum Christianis jus Christianus
Proconsul diceret, & alios verbis, a-
lios miraculis, omnes vitæ exemplo
ad Christum traheret. Id ubi aliquantò

Ccc 3 se-

774 VITÆ SANCTORUM. IO. Dec.
ferius rescivit Maximinus, qui rem Deo-
rum restitueret, Hermogenem misit.
Hic de loco ac munere MENNAM, sed
non perinde de constantiâ deiecit: ut
qui refectâ fœdè à pedibus carne in sen-
tentiâ tamen persistit, neque post eru-
tos oculos linguamque vel à viâ virtutis
excessit, vel clamare animo Christum
destitit; quin cum sub noctem medici-
nam membris omnibus ipse Christus fe-
cisset, & Angeli palàm se Martyri jun-
xissent, associare etiam se Hermogenes
non dubitavit, pulchrâ metamorphosi
ex tyranno Episcopus urbis factus. Tot
damnis mactatus Imperator ipse adfuit,
Deosque & se ulturus, Hermogeni manus
pedesque auferri cremarique, ipsum ven-
tre discisso aquis mergi; *Mennam* verò
ex arbore, ex *Mennæ* pede saxum suspen-
di iussit, nobile anathema. Sed ecce mor-
tem tunc uterque, sed postridie Maxi-
minum iterum triumpharunt capite
truncati. Ossa quoque tumbâ ferreâ con-
dita & in mare abjecta nautæ Angeli By-
zantium deportarunt, à loci Antifistite tu-
mulanda. Ibi molliter nunc quiescunt,
qui duriter olim vixerunt. *Ex Surio.*

*Si tantâ curâ agitur, ut aliquanto plus
vivatur, quomodo agendum est, ut semper
vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui om-
nibus modis agunt, ne perdant paucos
dies, quam stulti sunt qui sic vivunt, ut
per-*

10. Dec. VITÆ SANCTORUM. 775
perdant aeternum diem? S. Aug. serm. 64.
de verb. Dom.

S. EULALIA V. & M.
10. Decembris.

E Merita Lusitaniæ oppidum, oppidi
longè maximum decus **EULALIA**
est virgo, quæ plures palmas quàm an-
nos, dum vixit, numeravit. Certè an-
num cum vix duodecimum ageret, sævi-
retque in Christianos impietas, vigilem
licet parentum custodiam noctis benefi-
cio sefellit, interque Angelorum comita-
tum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea
ipsum iudicem accusare ausa est, & ejus
in pios tyrannidem populo spectante &
audiente multis objurgare. Quid? quòd,
cum hic dictis mellitis suadere insisteret,
ut ad Deos transiret, quò dicta illa de-
spueret, in vultum tyranni exspuit;
Deosque & thus Deorum, cumque; his
minas omnes heroo pede calcavit: fla-
gris deinde lacera risit etiam, sanguine-
que suo picta velut superbè circumspexit
se: demum cum faces ardentes admove-
rentur, flammis ore patulo excepit, Deo-
que cum animà lætabunda transmisit. Et
verò ecce testes castissimi & animi &
corpuseuli! Ille, uti ipse carnifex specta-
vit, argenteas columbæ pennas indutus
cælo se abdidit. Hoc, ut tumulus mani-
bus